

transmissum fuisse. Hic exitus fabulæ ficti Sebastiani fuit, minime miranda res, cum vetera sæcula repetentibus, eadem sæpius contigisse inveniantur. Andriscus quidam, ultimæ fortis homo, Persei Regis se filium ferens, & mutato nomine Philippus vocatus, cum ab urbe Roma, quo illum Demetrius Syriae Rex ob hoc ipsum mendacium miserat, clam profugisset, multis ad falsam ejus fabulam coeuntibus, contracto exercitu, totam Macedoniam, aut voluntate incolentium, aut armis occupavit. Non defuere qui Alexandrum, qui Neronem ementirentur; compluresque apud græcos latinosque historiæ scriptores comperies, qui veros principes tam ambiguo descrimine sunt imitati, ut ingentes motus turbasque variis in regionibus excitarint. Sed quod mirere, non tantum spectrum hoc Sebastiani plebejos gregariosque sui mendacii adstipulatores, verum eruditos quoque assertores habuit, qui, scriptis, non uno idiomate editis, insigne hoc commentum astruxere; atque inter ceteros Sampajus Lusitanus argumentis non modo, verum etiam vaticiniis confirmare est adnixus. Sed ad institutum regredior.

Reliquis Europæ regionibus quiescentibus, mars in Batavis tantum atque in Pannonia sæviebat. Albertus Ostdenam premebat acri obsidione, cum interim Mauritius Nassovius, Batavorum imperator, Graviam oppidum ad Mosam amnem oppugnat ac deditio potitur; alternisque modo prosperis modo adversis eventibus dimicatur. Eodem tempore in Pannonia pari fortuna res geritur. Mercurii Dux, dum in Galliam proficiscitur, Norimbergæ excessit. Buda a Cæsareanis intercepta, castrum præsidiorum constantia ac pertinacia defensum, conceptam in illorum animis spem elusit, reque infecta abscedere coegit. Qui, ne liber vagandi aditus Turcis esset, Pestum, e Budæ regione situm oppidum, valido militum præsidio communiunt, irrumptentesque sæpius invadunt ac cædunt. Parte alia Sigismundus Battoreus, victus antea ac profligatus, irrequieto spiritu rursus a Cæsare deficiens, Daciam occupat. In eum Georgius Bastius, Cæsareanorum summus præfectus, mittitur, qui Principem regionis civitatem, Bistricam, obsessam

*Mercurii
Ducis obti-
tus.*

*Sigis-
mundus
Battoreus a
Cæsare de-
ficit.*

*Georgius
Bastius, Cæ-
sareanarum
copiarum
imperator,
Bistricam
occupat.*

con-